AB ATHENIENSI SOPHOCLE SCRIPTAM ESSE AIACEM, EX IPSA FABULA INTELLEGITUR.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA ROSTOCHIENSI

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CONSECUTUS

SCRIPTAM EDIDIT

GEORGIUS BERTHOLD,

PHILOSOPHIAE DOCTOR.

ROSTOCHII

TYPIS ACADEMICIS ADLERIANIS.

MDCCCLXXV.

Ab Atheniensi Sophocle scriptam esse Aiacem, ex ipsa fabula intellegitur.

Graecam et quae Periclis maxime temporibus floruit tragoediam, summo iure Atticam[1]) appellari, quis est qui neget?

Qua ex tragoedia luculentissime apparet non unam fuisse Graecos nationem: tam illa firmiter tamque altis radicibus in ipsa Attica haerebat et defixa erat. Atque summi ad id videtur fuisse momenti, quod solebant poetae in ipsarum fabularum argumenta inserere atque intexere, quibus Atheniensium animos, ut sibi conciliarent devincirentque, eleganter scilicet tentarent et permulcerent. Quod simplicissime et commodissime factum esset iis maxime fabulis in scenam prolatis quibus gloriosissimae illae Athe-

---

[1]) Recedendum hic est a primis illis tragoediae principiis, quae Dorienses sibi vindicant [Arist. poet. 1448 a (ed. Vahlen) *Διὸ καὶ ἀντιποιοῦνται τῆς τε τραγῳδίας καὶ τῆς κωμῳδίας οἱ Δωριεῖς*]. Sicyone enim iam ante tyrannidem usurpatam Dionysia dithyrambicis carminibus celebrabantur et Adrasto heroi (Herod. V, 67) tragoedia quaedam agebatur. Primus denique Atticus poeta tragicus, Thespis, a Suida (Aristoph Wesp. 1479) narratur omnium fuisse septimus decimus. Praetereo tragoediam, quae vocatur, Megaricam. De omnibus his Boekhius in clarissima de tragoediae principiis dissertatione satis disseruit. Sed quae proprie appellatur tragoedia plane Attica est, neque quisquam adhuc hanc Atheniensibus denegavit. Nam licet Atticorum poetarum fabulae Syracusis apud tyrannos actae sint, licet Aeschylus ibi refugium invenerit, tulisse poetas tragicos nisi Atticam terram recte negat Plato in Lach. pag. 183 a.

niensium de Persis victoriae celebrarentur. Et ingressus est eam viam Phrynichus, cum fabulis quae appellantur *Μιλήτου αἵρεσις* et *Φοίνισσαι*, Mileti oppugnationem Persarumque ad Salamina cladem depinxit. Sed quamquam ex Aristophanis Vesparum vv. 220—69 constat multo etiam post Athenienses dulcia patriaeque amantissima illius carmina recitasse, eiusmodi fabulae ex novissimis sumptae temporibus populum illum, facillime motum, acrius videntur percussisse. Velut Herodoto auctore (VI, 21) Mileti oppugnatio, cum acta est, in lacrimas effusi sunt audientes, ut Phrynichus poeta multa haud exigua puniretur, tragoediam eam edi lege vetaretur [1]). Nec secutus est illum ullus poeta tragicus praeter Aeschylum, qui „Persis“ [2]) ultimus eiusmodi rem tractavit.

---

[1]) Herodotus l. c. dicit multatum esse poetam, quod domesticas calamitates (*οἰκήια κακά*) depinxerit. Quod quin verum sit, non debet dubitari. Neque vero hoc adversatur meae opinioni, immo id tantum probat narratio illa, et facile motos esse Athenienses et motos graviter succensuisse.

[2]) Multum disputarunt homines docti, quodnam Persarum fabulae fuerit consilium. Ac Schlegelii sententiam, qui Hieronis Syracusanorum tyranni gratia scriptam tragoediam putat Passowius (Meletem. crit. in Aeschyl. Persas. Vratisl. 1818) multis iisque gravissimis argumentis refutavit. Tyranni enim gratia scriptam esse tragoediam, qua tyranni vehementissime carperentur, quis unquam sibi persuadeat? Fr. Jacobsius in disputatione de Persis germanice scripta putavit demonstrandum sibi proposuisse Aeschylum, ex nimia sui fiducia ac superbia ortam esse cladem Persicam et assensus ei est fere omnibus in rebus G. Hermannus (de Aeschyl. Persis pag. 87). Contra hos viros doctissimos Blomfieldus in praef. ad Persas pag. 12 adversatur hanc opinionem proferens ad risum movendum scriptam esse tragoediam. Quae sententia si non risum, indignationem certe movet maximam. Eidem pag. 11 nihil aliud spectasse videtur poeta, nisi ut avidae civium laudis cupiditati satis faceret. Hoc est absurdum. Omnia enim, ut Passowii utar verbis (Meletem. pag. 23), quae hostibus acciderant mala, non tam ad excellentiorem Graecorum fortitudinem, ad perfectiorem apud eos artem bellicam, ad ullam causam externam quam ad iram deorum refert. Procul igitur etsi absum a Blomfieldii sententia, persuadere mihi non possum poetam tale aliquid nunquam spectasse.

Tantum autem afuit, ut aetatis suae vel res vel homines vererentur tangere poetae, ut summo id studio quaererent atque expeterent.

Ex Aeschyli enim, ut exemplo utar, tragoediis nulla non abundat eiusmodi significationum copia. Velut in fabula, Semptem contra Thebas inscripta, vv. 592 sqq. Aristidem apparet describi totaque Orestia ille id maxime agit, ut Areopagum, antiquissimam illam institutionem, cuius populo iura tradere conati erant populares, conservandum civibus suis et observandum commendet. Postea vero a primo consilio tam alienissimae res tragoediis implicabantur, ut auderent posteri contendere, et Sophoclem et Euripidem mutuas inimicitias, fabulis suis insertas, tamquam immortalitati mandasse; id quod in Hipponoo Sophoclem fecisse affirmat Julius Pollux onom. IV, 111. Quid vero? Amores hic suos nonne in propatulo habuisse dicitur cum scripsit: *φίλη γὰρ ἡ Θεωρίς* (frgm. 694). Quamquam non ignoro accuratissimos criticos longe aliter iudicare, et cum Theoridis nomen de dea, non de poetae amica intelligant, totam illam Athenaei (XIII, 592 b cfr. 598 d) narrationem recentiori cuidam et male arguto fabulatori imputare. Utut est, hoc tenendum videtur, tragicos Athenienses in fabulas ex heroicis carminibus maximam partem desumptas, non modo publica sui temporis instituta, seu legibus, seu consuetudine sancita, civiumque et externas et mutuas contentiones, sed etiam domestica, vel odia, vel studia inseruisse. Quod in nullam potius fabulam cadere quam in Aiacem et propter huius fabulae argumentum conici licet, cum Atticum esse Aiacem Athenienses summo studio affectare soliti sint, et certis rationibus comprobari potest.

Quam disquisitionem commodissime, opinor, in duas partes ita distinguemus, ut altera ii contineantur loci, quibus fortuito ille suorum civium instituta opinionesque ad heroica tempora transtulit, altera ii, quibus ad id ipsum usus est, ut gratiam ab illis iniret.

In priore parte principium capio a locis duobus, ad civiles Atheniensium Sophocli aequalium discordias spectantibus, inque quibus, siquid video, poeta quam ipse sequatur partem, haud occulte significat.

Atque chorus quidem vv. 157—63 hanc proponit sententiam, humiles sine principibus lubricum esse civitatis tutamentum.

Sequitur autem confirmatio quae γάρ particula exorditur. Optime enim, inquit, et humiles magnorum societate sustentabuntur et humilium magni. Haec altera quae additur pars „et humilium magni" minime est necessaria.

Simillimus tamen est locus v. 715 [1]), ubi delent editores verba „τε καὶ φλέγει". Ego, quamquam in universum Hermanno concedo, amare Graecos opposita afferre, nostro tamen loco malim cum Musgravio stare, qui: „vereor, inquit, ne poeta qui optimatium partes secutus videtur, civium suorum levitatem et in principes procacitatem notare hic voluerit".

Tacent de ea re ceteri editores, quamvis Musgravii suspicionem cum multa alia probent tum sequens illud τοὺς ἀνοήτους, quod sic demum recte intellegitur cum ad certas, ut ita dicam, personas, ad Athenienses refertur. Sentio igitur his verbis Athenienses, qui quidem tum a Cleone sociisque eius contra optimates irritabantur, admonuisse poetam, sine invisis optimatibus se ipsos esse non posse, id est, similitudine omissa, idem dixisse quod Menenius Agrippa plebi Roma egressae ante oculos posuisse fabulantur historici Romani.

Alter eorum quos indicavi locus in Menelai oratione continetur vv. 1080—82. Negatur ibi regi posse aut exercitum aut civitatem nisi ducis dicto audientem. In fugam enim conici illum quamvis corporum milites excellant mole; hanc, sicubi onmis iniuriae praevaleat licentia, fieri

---

[1]) Πάνθ' ὁ μέγας χρόνος μαραίνει τε καὶ φλέγει; delerunt Wunderus, Schneidewinus, Seyffertus alii.

non posse, quin tandem e cursu secundo in praeceps deferatur. Simillimi autem sunt Antigonae vv. 672 seq. [1], ubi Creon eandem sententiam aliis verbis persequitur. Quibus locis quid manifestius? Notat poeta immodestos civium suorum mores, qui, Cleone stimulante, effrenatae licentiae cupidius indulgebant.

Tertius quoque locus huc nobis referendus esset, si Hermannum sequeremur. Qui adnotat haec ad v. 1360: „videtur hic versus et v. 1362 dictus esse sic ut Cleonem respiceret poeta, cuius neque ingenium probaret nec stabilem gratiam apud populum fore praediceret". Quodsi verum est, Cleonem tum floruisse necesse est cum haec tragoedia est acta. Principem autem popularium partium, hoc est totius reipublicae locum occupavit Cleon non ante Periclis mortem. Atqui hanc poetae nostri fabulam esse ceteris quae quidem aetatem tulerint antiquiorem inde potissimum constat quod et parodus ex anapaestis, inter se non respondentibus, composita in nulla praeter hanc Sophoclis fabula alienis metris non mixta est et trimetri ipsi summa cum diligentia et cura conformati sunt, nam has leges magis magisque poetam nostrum neglexisse constat inter omnes.

Accedit quod fere nunquam in scena versantur actores plus quam duo; trium, sin tamen eodem tempore in scena conspiciuntur, unus certe non auditur. Denique in Codice Laurentiano, Sophoclearum Musarum libro, sive praestantissimo, sive etiam unico, ita dispositae sunt fabulae, ut Aiacem Electra, Electram Oedipus Rex, Oedipum Regem Antigona, Antigonam Trachiniae, Trachinias Philoctetes, Philoctetam Oedipus Coloneus, sequatur. Antigona, Philoctetes, Oedipus Coloneus quando doctae sint, aliunde notum est; hae tres tragoediae cum eo in libro ordine collatae sint, quo in scenam prolatae sunt, eandem in

[1]) *ἀναρχίας δὲ μεῖζον οὐκ ἔστιν κακόν· αὕτη πόλεις τ᾽ ὄλλυσιν ἥδ᾽ ἀναστάτους οἴκους τίθησιν· ἥδε συμμάχου δορὸς τροπὰς καταρρήγνυσι· τῶν δ᾽ ὀρθουμένων σῴζει τὰ πολλὰ σώμαθ᾽ ἡ πειθαρχία.*

ceteris disponendis rationem adhibitam esse coniecerunt homines docti. Haec argumentatio si, ut videtur, vera est, apparet, Aiacem non modo ante Antigonam esse actam, hoc est ante annum 433, quo Antigonam in scenam prolatam esse Hermannus docuit in clarissima dissertatione huic fabulae praemissa, sed etiam aliquanto ante illum annum, cum interim poeta tres fabulas easque perpolitas confecerit. Quo ipso efficitur Cleonem hic non tangi. Erunt tamen, qui dubitent de huius argumentationis veritate; ut alia ingrendienda via sit. Atque Hermannus v. 1362 putat ad Cleonem spectare (σκληρὰν ἐπαινεῖν οὐ φιλῶ ψυχὴν ἐγώ). Σκληρά autem ψυχή nihil aliud significat nisi „durum, rigidum, praefractum ingenium" ut v. 649: περισκελεῖς φρένες; Ant. v. 473: τὰ σκλήρ' ἄγαν φρονήματα et σκληρότης Plat. Theaet. 186 B.

Quale ingenium [1]) quis unquam Cleoni tribuit? Immo rudis erat homo, ferox, impudens, procax, sui amantissimus. Errasse igitur Hermannum facile concedemus. Ceterum antecedentes versus non recte mihi videntur ab editoribus intellecti, quod, quamvis a proposito nostro paullo alienius, non ineptum duco hic cursim commemorare. Supersedeo singulas percensere explicationes, quae innumerae sunt: equidem hoc sentio. Dixerat Agamemnon v. 1331 amicissimum sibi se existimare Ulixen, tum, ubi animadvertit cum adversariis quodammodo eum stare, amarus fit atque acerbus. Quare v. 1358 „tales, inquit, homines inconstantes vocantur." Ad id Ulixes respondens sane quidem, inquit, multi nunc iucundi sunt, nunc iniucundi φίλοι enim adiectivum est et sic demum iure opponitur adiectivo πικροί. Reprehendit igitur ille Agamemnonem quod, quem antea amicum putaverit nunc molestum arbitretur, id est inconstantiae crimen in Agamemnonem ipsum regerit. Hic contra evitans aculeum, detor-

---

[1]) De eius ingenio dixit Fr. Cortuemius in Bremii et Doederlini actis philolog. Helvetiis t. I, pag. 35 seq.

quet illius verba et quasi contrarium dixerit, accipit. Sic omnia rectissime cohaerent. Contra si vertimus: „multi profecto nunc amici sunt, nunc inimici“ ipse Ulixes iure inconstantiae se insimulari concedit, id quod absurdum est.

Veniamus iam, ad ea, quae Sophocles fortuito magis aut poetica licentia usus, quam certo aliquo consilio ex sua aetate ad heroica tempora transtulit. Pertinent huc vv. 1120, 1135, 1260. Ac versu 1120 legitur: ὁ τοξότης ἔοικεν οὐ σμικρὰ φρονεῖν sive ut placet editoribus σμικρὸν φρονεῖν. Quod quo contextu positum sit si videmus, apparet τοξότης dictum hic esse per contemptum, id est eo sensu quo Sophoclis temporibus usurpabatur. Jam Persicis enim bellis hoc genus telorum obsolevit maximeque Cretes eo usi sunt, de qua re Lobeckius disseruit ad Paus. I, 23, 4.

Hi vero omnibus temporibus cum celebrati erant ob egregiam in arte sagittaria habilitatem (v. Caes. Bell. Gall. II, 7, Sall. Jug. 34), tum famosi ob mores improbos naturamque fallacem. Intelligitur hoc ex proverbiis illis:

τρία κάππα κακά (Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες)

et: Κρῆτες ἀεὶ ψευσταὶ κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργοί.

Cretes igitur cum et sagittarii et contempti essent, contemptus in ipsam artem sagittariam translatus est. Accedit quod τοξόται Athenis appellabantur apparitores (Aristoph. Achar. 54, Equit. 665, Thesmo. 929, saepius Plato Protag. 319) quibus iisdem „Σκύθαι“ [1]) nomen erat v. schol. ad Aristoph. Achar. 54. Heroicis autem temporibus tantum aberat ut sagittarii contemptui essent, ut vel summo uterentur honore. Erat enim Appollo praeses artis sagittariae id quod satis intellegitur ex cognominibus eius, quae enumerare longum est.

---

[1]) De his Scythis uberrime disputaverunt Boekhius in libro germanice scripto qui inscribitur: „Staatshaushalt der Athener“, tom I, pag. 223—25; Bergkius com. Att. relig. 98; Heindorfius ad Plat. Protag. pag. 448.

Versu deinde 449 Atridae dicuntur *ψηφίσαι κατά τινος* (Aiax 448, sq.: *κεὶ μὴ τόδ' ὄμμα καὶ φρένες διάστροφοι γνώμης ἀπῇξαν τῆς ἐμῆς, οὐκ ἄν ποτε δίκην κατ' ἄλλου φωτὸς ὧ δ' ἐψήφισαν*).

Quo in loco primum memorabile est activum *ψηφίσαι*, quo „calculos computare“ significant recentiores, hic dictum esse pro *κατα ψηφίζεσθαί τινος* quod cum accusativo *δίκην* coniunctum invenitur in Plat. Georg. p. 515, e: *οὐδὲ μίαν αἰσχρὰν δίκην κατα ψηφίσατο αὐτοῦ*. Est igitur *ψηφίζειν* in eorum numero verborum quorum Sophocles praeter consuetudinem activa forma usus est. Velut h. f. v. 1037 *μηχανᾶν* dixit pro *μηχανᾶσθαι*. Idem ausus est Homerus Odyss. XVIII, 143: *ἀτάσθαλα μηχανόωντες* quos locos adscripsit Musgravius. Item v. 769 (. . . *ἐγὼ δὲ καὶ δίχα κείνων πέποιθα τοῦτ' ἐπισπάσειν κλέος*) *ἐπισπᾶν* dictum est pro *ἐπισπᾶσθαι* quem ad locum Wunderus comparavit Oed. Col. 6, Oed. Rex 590, El. 1088, ubi pro *φέρειν* expectaveris *φέρεσθαι*.

Dixit de ea re Reisigius in enarratione Oedipi Col. p. 27. De indicativo deinde aoristi satis dixerunt interpretes. Anachronismum autem propter quem attulimus hunc locum primus animadvertit Eustath. ad Jliad. II, 852 cum scripsit: *τὸ οὐκ ἄν ποτε δίκην ὧ δ' ἐψήφισαν· ψηφίζειν γὰρ οὔπω ᾔδεσαν ἥρωες ἀλλὰ μεταχρόνιον τὸ τῶν ψήφων εὕρημα*. Neque magis antiquae simplicitatis rationem duxit cum dicit v. 1135: *κλέπτης γὰρ αὐτοῦ ψηφοποιὸς εὑρέθης* ubi Pindaro utitur socio Nem. 8, 45: *κρυφίαισι γὰρ ἐν ψάφοις Ὀδυσσῆ Δαναοὶ θεράπευσαν*, quo uno ille loco *ψᾶφος* de suffragiis usurpavit.

Versibus autem 1013 seq. Teucer, mortuum fratrem lugens, metuit ne pater, ira adductus, ipsi culpam tribuat ipsumque *τόν ἐκ δορὸς γεγῶτα νόθον* ut servum terra abiiciat. Primum de ipsis verbis quaerendum est. Versu enim 1020 positum est:

τέλος . . . ἀπορριφθήσομαι, δοῦλος λόγοισιν ἀντ' ἐλευθέρου φανείς.

Illud *λόγοισιν* plerisque editoribus absurdum visum est: nihil adnotat Hermannus, nihil Lobeckius.

Wunderus et Schneidewinus intellegunt: *ταῖς τοῦ πατρὸς λοιδορίαις,* cui explicationi et sensus et ipsa verba adversantur. Neque enim nudum *λόγοισι* pro *λόγοισι πατρός* potest substitui. Coniecerunt Fr. Gu. Schmidtius *ψόγοισι,* Morstadtius *γονεῦσι,* Nauckius *τὸ λοιπόν,* Seyffertus *τρόποισιν*; quibus ex coniecturis Schmidtii et Nauckii plane absurdae sunt. Seyffertus autem Teucrum rusticum et agrestem facit, id quod certe noluit; participium enim causam indicat, non effectum; Morstadtius contra *γονεῦσι* recti quodam sensu inspiratus videtur coniecisse, cum neque improbabile sit, librarium calami errore pro *δόμοισι* scripsisse *λόγοισι,* et facillime illo vocabulo, fortasse propter praecedens *δοῦλος,* omisso, sic potuerit false compleri, sententiae vero optime sic procedant.

Neque enim servus Teucer habebitur nisi in domo patris. An cum re vera eiectus a patre Salamina condidit servi peregre habitum vestitumque assumpsit?

Participium igitur illud *φανείς* causam necesse est indicare cur patria expulsus emigrare cogatur. Id vero ipsum non assequimus nisi cum *δόμοισι* legimus.

Ceterum dativus loci quamvis raro tamen invenitur cfr. locos allatos a Matthiaeo gramm. § 406, b. ed. III, ex quibus hos eligam:

Od. *Λ,* 187: *πατὴρ δὲ σὸς αὐτόθι μίμνει ἀγρῷ.*

Sophocl. Ant. 226 *ὁδοῖς κυκλῶν*

et qui maxime nostrum in locum quadrat, Trach. v. 730

ᾧ μηδὲν ἔστ᾽ οἴκοις βαρύ (ed. Dind.),

ubi tamen Wunderus cum Wakefieldo *οἴκοι* scripsit. Similia sunt quae leguntur Ant. 121 et Oed. Col. 313 quibuscum Wunderus comparavit Oed. Col. 411 *σοῖς ὅταν στῶσιν τάφοις,* 700, 715 etc. Eundem dativum loci hic statuunt qui *Λόγοισιν* accipiunt ita ut sit „in ore hominum". Quod si fieri posset, haud dubitarem iis assentiri.

Jam vero vv. 1260 seq. de eodem Teucro Agamemnon

servum ait et barbarum iam non esse auditurum; liberum adducat virum qui ipsius causam dicat. Quibus verbis, si accurate intellegis, Agamemnon instituta Atheniensium sed inique ut calumnians in Teucrum trahit. Nam erat Teucer patre quidem Graeco, matre Hesiona, quamvis regia stirpe orta, tamen captiva et barbara; neque *κουριδίη* illa, ut ait Homerus, Telamonis erat *ἄλοχος*, sed pellex tantum et concabina.

Jam vero heroicis temporibus intemperantiores erant homines ad res venereas. Primus apud Graecos Cecrops [1]) matrimonium dicitur instituisse, ut unus cum una perpetuo cohabitaret; antea eos ferarum ritu coiisse. Sed instituto matrimonio virgines apud Homerum, ubi peccarunt aliquid, haud dubitarunt crimen suum alicuius dei amore obtegere [2]) adeoque ad maiores quam iusto matrimonio tribuebantur honores efferre. Atque omnibus omnino tota Graecia aetatibus virginis vitium de alterius iure tantum habita est deminutio, eaque quae matrimonio plane compensaretur cfr. Plut. Qu. symp. 7, 83: *αἱ δὲ φθοραὶ τῶν παρθένων ἐπὶ γάμον ἐπιεικῶς καταστρέφουσι* [3]). Tales igitur liberi

---

[1]) De Cecrope narrat Athenaeus 13, 555, d. his usus verbis: *ἐν δὲ Ἀθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἑνὶ ἔζευξεν, ἀνέδην τὸ πρότερον οὐσῶν τῶν συνόδων καὶ κοινογαμιῶν ὄντων·* Hoc etiamsi non credamus, cum plurima et posteriorum et superiorum temporum instituta ad Lycurgum, Cecropem alios quasi fabulosos homines relatae sint, multo tamen sublimius de Graecorum matrimonio cogitasse mihi videtur Fr. Jacobsius in libello de mulierum condicione scripto. Communis illorum de matrimonio quae fuerit opinio ex oratione Demosthenis maxime apparet in Neaeram habita, ubi est § 122: *τὰς μὲν γὰρ ἑταίρας ἡδονῆς ἕνεκ' ἔχομεν, τὰς δὲ παλλακὰς τῆς καθ' ἡμέραν θεραπείας τοῦ σώματος, τὰς δὲ γυναῖκας τοῦ παιδοποιεῖσθαι γνησίως καὶ τῶν ἔνδον φύλακα πιστὴν ἔχειν·*

[2]) Euripides in Bacch. v. 26 seq. Dionysum haec facit loquentem:

. . ἀδελφαὶ μητρὸς ἅς ἥκιστ' ἐχρῆν,
Διόνυσον οὐκ ἔφασκον ἐκφῦναι Διός,
Σεμέλην δὲ νυμφευθεῖσαν ἐκ θνητοῦ τινος
εἰς Ζῆν' ἀναφέρειν τὴν ἁμαρτίαν λέχους·

[3]) Dixit hoc Plutarchus de Menandri comoediis; sed ipse Solo raptibus et stupris levissimam centum drachmarum multam proposuit.

ex deo procreati *παρθένιοι* appellantur Jl. *π*, 180 quo loco Polymela, saltatrix clarissima ex Mercurio Eudorum narratur peperisse. Sed ne eae quidem quae cum hominibus faterentur se rem habuisse, obscuritatem obducebant crimini suo, immo a nullo cognitae eae prae pudore latent. Neoptolemus quidem, Achillis filius — Oniri [1]) nomen ignorat Homerus — ex puella quadam Scyria procreatus est (Jl. *T*, 326—33), nec minus *σκότιος* est filius quam Laomedontis ille Bucolio (Jl. *Z*, 24 *σκότιον δέ ἑ γείνατο μήτηρ*) cui id ipsum tribuitur epitheton. Nec magnam uxores tulerunt ignominiam quae cum deo quoddam committerent adulterium, sed non dubitarunt mariti illi liberales eiusmodi advenas cum suis ipsorum filiis educare suumque iis nomen quasi tegmentum praebere. Nam ut de Hercule taceam, Nelei filia, Polydora a Sperchio fluvio, Menesthium concepit clanculum qui quidem publice Bori mariti habebatur filius (Jl. *Π*, 175—78). Neleus praeterea ipse Tyrus Neptunique filius in Crethei vitrici, ut ita dicam, locum successit (Od. *Λ*, 234—38). Viros deinde non modo non dedecebat, concubinam habere, sed saepissime laudis bellicae praemium puella erat nobilis bello capta. Omnes enim fere ante Troiam heroes amica utuntur sive una sive pluribus ut Achilles Briseide Hippodamia (Jl. *Ω*, 676 [2]) et Diomedes Phorbae filia (Jl. *I*, 665), Agamemno [3]) Chryseide Astynome, Nestor Hecamede (Jl. *Λ*, 624), Patroclus Iphi, Engei filia (Jl. *I*, 667), Odysseus et Aiax *ἀνωνύμῳ* quadam (Jl. *Α*, 138), alii aliis. Sed non foris modo morantibus et ab uxore remotis concessum hoc erat, sed vel

---

[1]) Onirum commemorat Ptolemaeus Hephaestio apud Phot. bibl. pag. 148, 22: Ab Oresta ignorante occisum eum esse in Phocide; postea sepulcrum ei exstructum esse circa Daulidem.

[2]) Hippodamiae nomen fuisse Briseidi scimus ex schol. ad Jl. I, 184, Astynomae Chryseidi ex Hygini fab. 70 et ex schol. ad Jl. I, 370.

[3]) Agamemnonem a Thersite mulierositatis insimulatum (Jl. *B*, 226) defendit Aristoteles apud Ath. 13, 556 E. his verbis: „*οὐκ εἰκὸς εἰς χρῆσιν εἶναι τὸ πλῆθος τῶν γυναικῶν, ἀλλ' εἰς γέρας, ἐπεὶ οὐδὲ τὸν πολὺν οἶνον εἰς τὸ μεθύειν παρεσκευάσατο.*“

praeter uxorem amicam quamlibet habere iis licebat. Neque raro aequo hoc coniuges ferebant animo necessitatique parebant[1]); ut Theano, Antenoris uxor, Pedaeum, nothum eius filium cum ipsius liberis dicitur educasse (Jl. *E,* 69). Apud Euripidem autem Andr. 224 Andromache gloriatur: „*καὶ μαστὸν ἤδη πολλάκις νόθοισι σοῖς ἐπέσχον, ἵνα σοι μηδὲν ἐνδοίην πικρόν*". Priamus deinde praeter Hecubam, uxorem legitimam, ex qua undeviginti filios procreaverat, plures habuit concubinas (Jl. *Φ,* 88, *Ω,* 496), ex quibus commemorantur Castianira (Jl. *Θ,* 305) et Laothoe (Jl. *Φ,* 85). Nec tamen turbata est, quod sciamus, pax domestica. Ceterum non desunt *χόλου,* ut ait Homerus, exempla. Phoenix enim, Amyntoris filius ab Hippodamia matre ut Clytiam, nobilem patris pellicem vitiet, lacessitur factoque exsecrationem subit paternam (Jl. *I,* 478). Rarissime vero ratio uxoris habebatur tanta, quantam Laertes ducit Od. *α,* 433: „*ἶσα δέ μιν κεδνῇ ἀλόχῳ τίεν ἐν μεγάροισιν εὐνῇ δ' οὔποτ' ἔμικτο, χόλον δ' ἀλέεινε γυναικός*". Ac nothorum

[1]) Disserens de hac re Athenaeus haec profert (13, 556): *παρὰ δὲ Πέρσαις ἀνέχεται ἡ βασίλεια τοῦ πλήθους τῶν παλλακίδων . . . καὶ ὁ Πρίαμος δὲ πολλαῖς χρῆται γυναιξὶ καὶ ἡ Ἑκάβη οὐ δυσχεραίνει . . . παρὰ δὲ τοῖς Ἕλλησιν οὐκ ἀνέχεται ἡ τοῦ Φοίνικος μήτηρ τὴν τοῦ Ἀμύντορος παλλακίδα.*

Parum accurate dicta! Homerus enim non novit barbarorum illam et Graecorum diversitatem; sed „*βαρβαρόφωνοι*" (Jl. *B,* 867) Cares appellantur ob inelegantiam linguae et rusticitatem non ob ullam morum vel originis diversitatem. Immo Troianis ille et deos fingit et mores Graecorum. Item Aeschylus in Persis, chorum senum Persicorum Dareumque vel Apollinem (206) Martem (85) vel Gaeam Mercurium, vel Orcum (628, 680) vel Jovem, vel Neptunum (762, 827) introduxit invocantes. Quae Athenaeus deinde affert exempla Clytemnestrae et Medeae, ne haec quidem ad Homerum quadrant. Ob simultatem enim, ex amore profectam, Cassandram maritumque occiso esse a Clytemnestra posteriores finxerunt scriptores; Medeae apud Homerum omnino nulla fit mentio.

Euripidea aetate nothi et novercae quo inter se animo fuerint, ex Phrixi frgm. 5 (Stob. Flor. 73, 35) apparet:

ὡς ὑγιὲς οὐδὲν φασὶν μητρυιὰς φρονεῖν
νόθοισι παισίν, ὧν φυλάξομαι ψογόν.

liberorum quae iura fuerint, si quaerimus, legitimis eos filiis inferiores fuisse consentaneum est [1]), ab omni eos hereditatis iure exclusos fuisse non aeque constat. Nam quod affertur ex Pausan. II, 18, 6. (*Λακεδαιμονίων δὲ ἐβασίλευσεν Ὀρέστης· τοὺς γὰρ Τυνδάρεω θυγατριδοῦς τὴν ἀρχὴν ἔχειν ἠξίουν πρὸ Νικοστράτου καὶ Μεγαπένδους, Μενελάῳ γεγενημένων ἐκ δούλης*) aut parum dilucide aut nimis neglegenter dictum videtur. Megapenthem enim etsi ex serva sustulit Menelaus (Od. *δ*, 10—12), Nicostratus tamen ab Apollodoro (3, 11, 1), Helenae appellatur filius. Quod vero item Pausanias (3, 18, 13), Nicostratum illum Menelai et Pieridis servae filium vocat, id nescio an recentioris aetatis commentum sit. Nimirum incredibile videbatur, Helenam viginti post annis quam rapta erat, liberos etiam peperisse. Utcunque est, non id hinc efficitur, exclusos fuisse nothos ab hereditate filios, sed illos nothos, postquam in patris locum successissent, quod odiosi essent populo, seditione ab Oresta adiuta, esse expulsos. Odysseae deinde *ξ* 208 nothus filius particulam tantum accipit heredii quod *ἰθαιγενεῖς* (ibid. 203.) non desunt filii.

Ad ipsum iam Teucrum accedimus eiusque condicionem. Et apud Homerum aliud exemplum consimile non invenitur; Medonem certe, nothum Oilei filium, non dubitarem afferre, si sciremus quae fuisset Rhene illa, quae mater eius vocatur (Jl. *B*, 728). Ante Troiam dux creatur a Methonensibus, loco aegri Philoctetae (Jl. *B*, 727), nescio an Protesilai adiumento. Domo enim profugus propter homicidium in Eriopidis novercae necessario commissum (Jl. *O*, 333) Phylacam, quod est Thessaliae oppidum, ad Protesilaum venerat ibique habitabat. Recta igitur via, id

---

[1]) *Νόθος* vocabulum ab Homero citra contumeliam dici ex Jliad. *Θ* 284 intellegitur, ubi Teucer *νόθος* appellatur ab Agamemnone, qui flagitans ab eo aliquid, blande modo allocutus eum est: *φίλη κεφαλή, κοίρανε λαῶν.* Neque is est qui a quo impetraturus est aliquid eum conviciis cumulet et opprobriis.

est rationibus ex Homero petitis Teucer num heres esse potuerit non potest diiudicari.

Electryo tamen (Hesiod. Scut. 82) ex Lysidica (Plut. Thes. 7) Alcmenen procreat (Hesiod. Scut. 16), ex Phrygia pellice Midea (Pind. Olymp. 7, 52.) Licymnium, qui Alcmenes frater vocatur (Jl. *B*, 663). Simillima autem est Eurysacis condicio, cuius quidem nomen non magis apud Homerum invenies, quam aut Tecmessae aut, quem Sophocles bis nominat (v. 210: 331), Teleuctantis. Est enim et ipse nothus filius isque ex Phrygii principis filia procreatus; nihilo ille minus, nullo contradicente, in avi locum successit. Videmus igitur hereditate haud exclusos, nedum contemptos fuisse nothos filios [1]).

Athenis contra legitimo tantum matrimonio qui procreati erant heredes esse poterant. Erat autem legitimum eorum matrimonium, quorum uterque Atheniensis esset civis. Ex alia societate quicunque orti erant, proprie *νόθοι* dicebantur in primis quos quis procreaverat ex concubina -- neque solum concubinam habere Atheniensibus licebat — praesertim eam *ἣν ἂν ἐπ᾿ ἐλευθέροις παισὶν ἔχῃ* (Demosth. contra Aristocr. 637, 5, § 55) — verum etiam tam legitima videbatur ea coniunctio, ut adulterum, si quis in eius stupro comperiebatur, illico permissum esset interficere. Deinde *νόθοι* dici quos Atheniensis civis ex pregrina muliere procreabat, Pisthetairus testis est qui Herculem, Avium Aristophanearum v. 1650, *νόθον* appellat. Is indignatus *ἐγώ*, inquit, *νόθος; τί λέγεις;* Et respondet ille:

σὺ μέντοι νὴ Δία ὤν γ᾿ ἐκ ξένης γυναικός·

---

[1]) Conferenda de hac re sunt Menelai verba Andr. 663, ubi de filiae sterilitate conqueritur:

καί τοι φέρ᾿, ἅψασθαι γὰρ οὐκ αἰσχρὸν λόγου, ἢν παῖς μὲν ἡμὴ μὴ τέκῃ, ταύτης δ᾿ ἄπο βλάστωσι παῖδες, τῆς δε γῆν Φθιώτιδο στήσεις τυράννους, βάρβαροι δ᾿ ὄντες γένος Ἕλλησιν ἄρξουσι;

Hoc etiam loco ius hereditarium non abiudicatur nothis, pendet primum ex defectione legitimorum liberorum, deinde ex voluntate paterna.

Ex earundem autem Avium v. 1660 omnia iis scimus a Solone dempta esse agnationis iura. (*ἐρῶ δὲ δὴ καὶ τὸν Σόλωνός σοι νόμον: νόθῳ δὲ μὴ εἶναι ἀγχιστείαν παίδων ὄντων γνησίων. ἐὰν δὲ παῖδες μὴ ὦσι γνήσιοι, τοῖς ἐγγυτάτω γένους μετεῖναι τῶν χρημάτων.*)

Ubi mille eos drachmas neque plus ut *νόθεια* accepisse Harpocratio tradidit p. 208. Nec tamen sibi constitisse videtur respublica, nec semper ea lex esse observata. Miltiadis enim filius Cimon, quamvis ex Thracici id est barbari principis filia, Hegesipyla natus (Herod. VI, 39) omnibus tamen integrae civitatis usus est beneficiis neque Alcmaeonidae, Megaclis posteris crimini datum est, quod mater Agarista peregrina fuisset (Herod. 6, 130 [1]). Neque vero etsi in curias referri eos non permissum erat (schol. ad Aristoph. Vesp. 582, Av. 1659) civitate caruisse videntur nothi Solonis temporibus [2]). Nam cum gymna-

[1]) Maior etiam de Themistocle est dubitatio. Is enim a Plutarcho (Them. 1) traditur ex Thracia muliere, ab Athenaeo (13, 576 C) ex Thracia meretrice natus esse. Summo igitur iure inter nothos referebatur et in Cynosarge se exercitabat. Tamen iam ante pugnam Salaminiam archontis dignitate functus est (cfr. Thucy. I, 93 et schol. ad eum locum: *πρὸ δὲ τῶν Μηδικῶν ἦρξεν ἐνιαυτὸν ἕνα*). Jam vero archontis magistratum qui petebant, ii probationem apud senatum subibant, qua illud maxime spectabatur, utrum legitimi cives essent nec ne (*ἐκ τριγονίας* Pollux 8, 55). Themistocles igitur, si vera tradidissent Plutarchus et Athenaeus, nullo modo ad eam dignitatem pervenire potuisset. Studuerunt igitur antiquitatum investigatores infirmare illorum narrationes atque labefactare; Wachsmuthius enim in libri qui inscribitur „hellenische Alterthumskunde", t. 1, sect. 1, pag. 31 fidem illis se habere negat eiusque rei has profert causas. Photius in lexico haec habet: „*Κυνόσαργες· ἐκεῖ οἱ νόθοι ἐντελοῦντο οἱ μήτε πρὸς πατρὸς μήτε πρὸς μητρὸς πολῖται.*" Affero iam ipsius Wachsmuthii verba: „aber Themistocles stammte aus dem alten Geschlecht der Lycomeden (Plut. Them. 1), jedoch mochte *νόθος* später auch von einem gebraucht werden, der nur *ματρόξενος* war; so Pollux III, 21." Hoc est cacumen radicis loco ponere. Quis unquam homo sanus nothos dixit nec a patre nec a matre civibus prognatos?

[2]) Ante Periclem nothos se exercitasse in Cynosarge ex locis allatis constat; post Periclem iam non ibi se exercitasse eos si legi-

siorum aditus neque ξένοις pateret neque servis (Aeschin. Tim. § 138) nothos constat in Cynosarge se exercitasse (Plut. Them. 1). Quid? Ipse Wachsmuthius nonne ceteris locis nothos eos dixit quos Pollux ille? quos omnes vel aureae Graecitatis scriptores? Erasse igitur putandus est Photius: de Themistocle non ausim diiudicare (cfr. Herod. V, 63, VI. 115, Pausan. I, 19, 3). Pericles primus statuit non esse Atheniensem civem nisi qui ex Atheniensi et patre et matre natus esset (Plut. Pericl. 37: ἀκμάζων ὁ Περικλῆς ἐν τῇ πολιτείᾳ νόμον ἔγραψε μόνον Ἀθηναῖον εἶναι τοὺς ἐκ δυοῖν Ἀθηναίων γεγονότας. Aelian. var. Hist. 6, 11; 13, 24). Idem vero postea Pericles, legitimis perditis filiis impetravit ut nothus filius Pericles ex Aspasia susceptus in curias referretur (Plut. Pericles 37). Simile exemplum servatum est in Isaei „de Philoctemonis hereditate“ oratione, nisi quod ibi, intercedente filio legitimo, pater pollicitus est, heredium ipsi non fore imminutum. Peloponnesiaco deinde bello tanta fuisse dicitur civium inopia, ut lege bigamia quasi consecraretur (Diog. Laert. II, 26: γαμεῖν μὲν ἀστὴν μίαν, παιδοποιεῖσθαι δέ καὶ ἐξ ἑτέρας. Athenaeus. 13, 556 A.). Id probabile est ita esse intellegendum nothos ex altera illa muliere procreatos, legitimis filiis esse adaequatos. Post vero perniciosissimum illud bellum Euclide archonte i. e. anno 403 ab Aristophonte [1]) Periclis lex restituta est. Jam queritur, num νόθοι, civitate carentes, ξένοις i. e. iis qui matre Atheniensi, patre peregrino orti erant (Aristot. Pol. III, 3. IV, 5) pares plane fuerint. Et Car. Fr. Hermannus quidem agros possidere iis negat licuisse. Contra, cum tributum inquilinorum (Demosth. adv. Eub. 1309 § 34) non penderent, Athenis eos domicilium collocasse causasque ipsos

---

mus, nonne recte concludimus antea eos usos esse civitate? Intellegitur illud ex Demosth. adv. Aristocr. § 213: ἀλλ' εἰς τοὺς νόθους ἐκεῖ συντελεῖ, καθάπερ ποτὲ ἐνθάδε εἰς Κυνόσαργες οἱ νόθοι.

[1]) Ipse postea Aristopho accusatus atque convictus est quod nothos ex amica filios sustulisset (Athen. 13, 577 b–c. et Lys. Agorat. § 59).

dixisse, patrono non adhibito. Quod si tenebimus, facile erit diiudicare de Agamemnonis verbis vv. 1260 sq. positis: *οὐμαθὼν ὃς εἶ φύσιν, ἄλλον τιν' ἄξεις ἄνδρα δεῦρ' ἐλεύθερον ὅστις πρὸς ἡμᾶς ἀντὶ σοῦ λέξει τὰ σά; σοῦ γὰρ λέγοντος οὐκέτ' ἂν μάθοιμ' ἐγώ· τὴν βάρβαρον γὰρ γλῶσσαν οὐκ ἐπαΐω.* Nimirum postulat ille ut liberum adducat virum, qui causam ipsius dicat; qua ex re luculentissime apparet, servum hic Agamemnoni videri Teucrum. Nullo certo modo concludi ex hoc loco potest, nothis tum omnino filiis non licuisse causam suam dicere. Sed quod servum Teucrum appellat Agamemno, id neque Homericae aetatis legibus definitum erat neque Atticis, sed nullo iure et, ut supra diximus, inique ab Agamemnone calumniante excogitatum est. Quid vero? ipse Teucer non servum a patre eiectum iri se dixerat terra? Audio: sed apparet hic necessarium esse quod restitueramus: *δόμοισι·* Nam voluntate certe patris in ipsius domo servus potuit haberi, aliter non potuit. Exaggerare autem Agamemnonem non ex hoc modo loco, sed e versu maxime elucet 1263, quo *βάρβαρον* illum vocat. Barbari autem Graecus homo non hostis modo natura [1]), sed etiam dominus est [2]). Videmus igitur Sophoclem Atheniensium etsi instituta intermisceat, tamen Agamemnonem calumniantem fingere et convicientem.

Sequitur altera disputationis pars, quae multitudinem rerum aliquanto maiorem complectitur.

---

[1]) Plato respubl. 5, pag. 470 C: *φημὶ τὸ μὲν Ἑλληνικὸν γένος αὐτὸ αὑτῷ οἰκεῖον εἶναι καὶ ξυγγενές, τῷ δὲ βαρβαρικῷ ὀθνεῖόν τι καὶ ἀλλότριον (καλῶς γε, ἔφη). Ἕλληνας μὲν ἄρα βαρβάροις καὶ βαρβάρους Ἕλλησι μαχομένους πολεμεῖν τε φήσομεν καὶ πολεμίους φύσει εἶναι.* (Demosth. adv. Mid. § 44. Isocrat. Panath. § 166.)

[2]) Demosth. Olynth. 3, 24: *ὑπήκουε δὲ ὁ ταύτην τὴν χώραν ἔχων αὐτοῖς βασιλεύς, ὥσπερ ἐστὶ προσῆκον βάρβαρον Ἕλλησι.*

Arist. Pol. I, 1, 5: *διό φασιν οἱ ποιηταὶ βαρβάρων δ' Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός, ὡς ταὐτὸ φύσει βάρβαρον καὶ δοῦλον ὄν.* (Eurip. Iphig. Aulid. 1400 seq.)

. . . βαρβάρων δ' Ἕλληνας ἄρχειν εἰκός, ἀλλ' οὐ βαρβάρους,
μῆτερ, Ἑλλήνων· τὸ μὲν γὰρ δοῦλον, οἱ δ' ἐλεύθεροι.

Ac primum quidem dicendum est de illis locis qui ad Salaminiorum cum Atheniensibus societatem antiquitus stabiliendam pertinent. Magnopere enim intererat Atheniensium demonstrare, iam antiquissimis temporibus Salamina insulam, de qua Solonis aetate acerbissime cum Megarensibus contenderant, sibi fuisse si non subiectam, sociam tamen atque amicissimam. Antiquissima autem eius rei testimonia cum apud Homerum inveniantur, ab eo quid traditum sit, operae pretium est considerare.

Et in navium catalogo, postquam Atheniensium vires descriptae sunt, hi versus leguntur (556, 57):

„Αἴας δ' ἐκ Σαλαμῖνος ἄγεν δυοκαίδεκα νῆας
στῆσε δ' ἄγων ἵν' Ἀθηναίων ἵσταντο φάλαγγες".

Quorum versuum hunc quidem qui leviter inspexerunt locum, spurium putarunt. Neque tamen ulla est suspicionis causa. Incitati autem erant illi veterum errore qui a Pisistrato versum censerent insertum, ut antiquitus possedisse insulam probaret Athenienses. Quod satis inconsiderate excogitarunt. Exsecto enim hoc versu, alter ille plane segregatus est, unum totius catalogi monostichium, in quo qui duces aut paucis verbis extolluntur aut cum aliis eiusdem generis ita componuntur, ut duo certe coniuncti sint versus. Aiaci vero duos concedendos esse versus haud erit qui neget. Deinde si Pisistratus, sive Pisistrati iussu Onomacritus interpolavit versum, modicam interpolandi praestiterunt artem. Ex hoc enim versu qui probare potest Atheniensium fuisse Salamina, eum nimis argutum esse oportet. Neque quidquam continetur eo versu nisi quod omnibus in rebus consentaneum est. Pancos enim ille milites cum haberet, applicavit se ad eos, quibuscum et vicinitate et amicitia coniunctus erat. Errare igitur ii videntur qui veterum sequuntur opinionem Sane ignoramus quantopere mutaverint Pisistratus et Onomacritus ea quae collegerunt carmina, sed Alexandrini scrutantes quid mutavissent illi, si potuissent, Atheniensium omnino nomen ex Homero removissent. Hoc igitur certum est, secundum

Homerum Salamina non esse Atheniensium, sed societate quadam sive fortuito sive rite inita cum iis coniunctam.

Recentiores deinde haece commenti sunt. Eurysaces a Teucro Salamina deductus mortuo avo successit, neque ita multo post cum Philaeo fratre, nescio unde efficto Atheniensibus insulam tradidit Athenasque se contulit. A Philaeo, quantum scio, dictus est pagus *Φιλαΐδαι*, ab Aiace tribus *Αἴαντες* [1]).

Commemoravit Philaeum, Aiacis filium iam Herodotus VI, 35: totum commentum primus exhibet Plutarchus in Solonis vita c. 10, ubi de iudicio refert quinque Spartiatarum iudicantium utrum Salamis Atheniensium sit an Megarensium. Dissentit Pausanias I, 35, 2 Philaeum Eurysacis filium fuisse tradens: *Φίλαιον δέ τὸν Εὐρυσάκους τοῦ Αἴαντος παραδοῦναι λέγουσιν Ἀθηναίοις τὴν νῆσον, γενόμενον ὑπ' αὐτῶν Ἀθηναῖον* [2]). Idemque Pausanias tradit (I, 35, 2) et Aiacis et Eurysacis templum sive aram fuisse Athenis. De quibus, utcumque iudicabimus, tantum constat multi interfuisse Atheniensium hunc sibi vindicare heroem quamvis mortuum [3]). Quare non mirabimur, quod

---

[1]) Herodotus (V, 66) Clisthenem decem tribus instituisse his verbis utitur: *Ἀθηναίους δεκαφύλους ἐποίησε τῶν Ἴωνος παίδων Γελέοντος καὶ Αἰγικόρεος καὶ Ἀργάδεω καὶ Ὅπλητος ἀπαλλάξας τὰς ἐπωνυμίας ἐπιχωρίων, δ' ἑτέρων ἡρώων ἐπωνυμίας ἐξευρών, πάρεξ Αἴαντος· τοῦτον δὲ ἅτε ἀστυγείτονα καὶ σύμμαχον ξεῖνον ὄντα προσέθετο.*

[2]) Sibelisius verba quae sunt „*Εὐρυσάκους τοῦ*“ uncis inclusit; inepte. Nulla enim tollendi est causa nisi Pausaniae a Plutarcho discrepantia. Sed ne sublatis quidem verbis consentiunt illi, cum alter Eurysacem et Philaeum, alter unum Philaeum tradidisse insulam dicat. Ex quibus Plutarchum potius sequemur, nam Pausaniae descriptio, etsi propter servatas singularum regionum fabulas haud nullius est momenti, caret tamen saepius diligentia et cura; ut non ita magna sit eius auctoritas. Hic tamen potest ille non errasse, sed potius aliam secutus esse traditionem.

[3]) Plato in Apol. Socr. § 41 Socratem facit optantem ut mox ad Aiacem perveniat et quicunque iniusto iudicio perierit. Herodotus tradit ante pugnam Salaminiam invocasse Athenienses Aiacem et Tela-

ipse Sophocles nullam omisit occasionem quin Atheniensibus Aiacem adscriberet.

Ac primum quidem dicendum est de choro. Is cum, ut docte observant editores, plerumque aut ex senibus constet aut ex virginibus, hac fabula nautis (vv. 201, 349, 357, 872, 902) Salaminiis (v. 596) compositus est, qui cum ad pugnandum Troiam petierint, si non iuvenes tamen non senes putandi sunt. Salaminii autem, etsi nautae sunt, tamen v. 202 a Tecmessa appellantur *ναὸς ἀρωγοὶ τῆς Αἴαντος γενεᾶς χθονίων ἀπ' Ἐρεχθειδᾶν· χθόνιοι* autem *Ἐρεχθεῖδαι* appellari non possunt nisi vel Erechtei posteri vel ipsi cives Attici. Et illo sensu Oreithyia vocatur Antig. 981 *σπέρμα ἀρχαιογόνων Ἐρεχθειδᾶν*. Mos autem est apud tragicos aliosque, terrae incolas principis nomine designare [1]. Sic Athenienses vocantur *Θησεῖδαι* (Oed. Col. 1066. Eurip. Troad. 31); *Ἐρεχθεῖδαι* (Pind. Isth. II, 19. Aristoph. Equit. 1015), *Κραναΐδαι* (Eurip. Suppl. 713). *Κεκροπίδαι* (Herod. VIII, 44. Eurip. Phoen. 855. Aristoph. Equit. 1055). *Αἴγειος στρατός* (Aeschy. Eum. 653). *Αἰγεῖδαι* (Demosth. 60, 28). Eodem modo Thebanos Aeschylus

---

monem Aeacidas, post relatam victoriam *ἀκροθίνια* iis consecrasse (8, 64, 121). Ab Aiace denique eiusque filiis clarissimis Atheniensium gentes ut Pisistrati, Miltiadis (Herod. 6, 35), Alcibiadis, originem duxerunt.

[1]) Longe frequentissime Thebani *Καδμεῖοι* dicuntur ab Aeschylo Sept. c. Theb. 531, 543, 679, 1025, 1026, 1075; a Sophocle O. R. 223, 273, 1288. O. Col. 354, 380, 409, 736, 741, 1394. Antig. 508; ab Euripide Suppl. 384, 646, 669, 821, 1036, 1221. Herc. F. 10, 61, 438. Bacch. 840, 985, 1194. Phoen. 912, 1221, 1631. . . Iidem, *Καδμεῖος λεώς* audiunt apud Euripidem Suppl. 467, 744. Phoen. 1227, 1239. *Ἐρεχθεΐδας* deinde Athenienses dixit Sophocles O. R. 144; Ant. 982. Eurip. Suppl. 387, 681, 702. Jon. 24, 1056, 1060. Herc. F. 1166. Phoen. 852. Hipp. 151. *Παῖδας Κρανάου* Aeschylus Eum. 1011. *Κραναούς* Herod. VIII, 44. Peloponnesii vel Lacedaemonii appellantur *Πελοπίδαι* ab Euripide Hel. 1242. Graeci deinde omnes *Δαναΐδαι* ab eodem Suppl. 1190. Vel ipsa nomina *Ἕλληνες, Δαναοί, Δωριεῖς*, alia, si ab heroibus Hellene Danao, Doro recte derivantur, ad hoc genus pertinent.

Sept. c. Theb. v. 303 dixit: στρατὸν Καδμογενῆ et Thessalos Pindarus (Pyth. X, 9) Ἀλεύα παῖδες. Quod autem maxime in hunc locum quadrat fragmentum est tragici poetae apud Hesychium, qui Argivos dixit χθονίους Ἰναχίδας. Salaminios igitur, si Ἐρεχθείδας dixisset poeta, antiquitus eos sub Atheniensium ditione fuisse fingeret. Dixit autem γεννεᾶς ἀπ' Ἐρεχθειδᾶν nec scio, num hoc idem significet. Aiax certe ipse moriturus v. 861 supremam salutem dicit Athenis his verbis:

κλειναί Ἀθῆναι καὶ τὸ σύντροφον γένος· Σύντροφος autem proprie denotans eum, qui una cum alio enutritus, aut certe cognatus sit, saepe in consortis significatum transit. Puto igitur, si non unius imperio, generis tamen affinitate coniunctos cum Atheniensibus fuisse Salaminios, et fuisse eos, ut Wesselingius ait, iuris Attici. Hi igitur nautae Salaminii nihil praetermittunt quin Athenas celebrent. Nam cum poeta v. 596 sqq. dicit: ὦ κλεινὰ Σαλαμίς σὺ μέν που ναίεις ἁλίπλακτος εὐδαίμων πᾶσιν περίφαντος ἀεί quid aliud spectat, quam ut Salaminiam Atheniensium fortitudinem, ingenium Themistoclis extollat? Quod cum non intellexissent antiquiores interpretes, ut Camerarius, qui vertit: „omnibus conspicua“, Musgravius, non recte quidem sed veri quodam sensu ductus coniecisset περίφημος anachronismum primus notavit Gu. Dindorfius apud Welckerum in Niebuhrii Museo Rhenano anni 1829. Iidem nautae Salaminii in luctuoso illo threno patriam Salamina desiderantes sic loquuntur (v. 1219):

γενοίμαν ἵν' ὑλᾶεν (omittit Nauckius) ἔπεστι πόντιον πρόβλημ' ἁλίκλυστον, ἄκραν ὑπὸ πλάκα Σουνίου, τὰς ἱερὰς [1]) ὅπως προσείποιμεν Ἀθάνας.

---

[1]) Ἱεραί vocantur Athenae primum ab Homero Od. λ 322, deinde ab Hesiodo frg. 106 ed. Göttl. . . A Pindaro appellantur et μεγάλαι Nem. II, 11 et κρανααί Olym. VII, 151, XIII, 53. Nem. VIII, 19 et λιπαραί Isth. II, 30 et ἱεραί frag. Dithyr. III, 4 (ἐν ταῖς ἱεραῖς Ἀθάναις) et κλειναί frag. Dithyr. IV, 2 (Ἑλλάδος ἔρεισμα, κλειναὶ Ἀθᾶναι, δαιμόνιον πτολίεθρον). Operae pretium est tragicorum de

Quibus versibus quoniam manifestum est nihil aliud chorum dicere quam velle se in patriam reverti, Attica paene disertis verbis patria vocatur Salaminiorum. Adiungo duos locos ambiguos quidem sed, si quid video, eodem pertinentes. Versu enim 172 Aiacem in boum greges incitavisse dicitur Diana *Ταυροπόλα*; quo cognomine quare potius quam alio quodam Diana hic invocaretur, multis modis editores explicare studuerunt. Ac Lobeckius prima quidem editione: „ut chorus, inquit, in Dianam potissimum suspicionem referret, effecit eius in vindicanda sua dignitate serveritas". Recte quidem, dummodo cognomen illud sic intellegeretur. Postea vero quam in Aglaophaneo p. 1089, qua est doctrina profundissima, demonstravit, bacchantium more propitiatam esse Tauricam Dianam, inde eam existimavit hic esse memoratam. Nauckius contra sive Schneidewinus: „venatrix, inquit, Diana *Ταυροπόλα* hic vocatur i. e. taurorum agitatrix, eam ob causam, quod Aiax etiam tauros trucidaverat"; id quod plane ineptum est. Atque consideremus quibus illa locis celebrata sit. Et templum eius Strabo commemorat (14, 639) in Icaria

---

Athenis dicta conferre et comparare. Atque castissimus in laudanda patria fuit Aeschylus, qui unis eam Persis commemoravit. V. 286 *στυγναί* appellantur *δᾴοις*; v. 875 *ἀπόρθητος πόλις στυγνά*; v. 975 *ὠγύγιοι . . . στυγναί*, v. 474 *κλειναί*. Solum nomen legimus vv. 231, 286, 716, 821. Incolae commemorantur Pers. 355 et Eum. vv. 681, 1011. Non minus se continuit Sophocles, nam ab h. f. locis si recesseris, legitur nomen Oed. C. 24, 58, 1004. Elect. v. 707 *θεοδμήτους* appellavit eas, Oed. C. v. 261 *θεοσεβεστάτας*, deinde v. 282 *εὐδαίμονας*. Versu denique 107 his verbis alloquitur urbem: *ὦ μεγίστης Παλλάδος καλούμεναι πασῶν Ἀθῆναι τιμιωτάτη πόλις*. Hi igitur non obtemperantes nisi necessitati mentionem patriae fecerunt, Euripides vero saepissime, interdum inepte respicit ad *κλεινὰν Θησέως εὐδαίμονα χώραν* (Trad. 209). In Alcestide enim senes Pheraei dominam mortuam praedicant celebratum iri a poetis ubi Spartae plenilunium factum sit et *λιπαραῖσί τ᾽ ἐν ὀλβίαις Ἀθήναις* (v. 452). *Κλειναὶ Ἀθῆναι* legitur Heracl. 38; Jon. 30, 262, 590, 1038. *Ζάθεαι* Jon. 184. *Λιπαραί* Troad. 800; Iph. T. 1131. *καλλίχοροι* Heraclid. 359. *Θεόδμητοι* Iph. T. 1449.

insula, quae eadem *Δολίχη* (Apollod. 2, 6, 3) appellatur, sacratum. Diodorus deinde Siculus in Amazonum historia (II, 46) Marti ait eas et Dianae quam vocant *Ταυροπόλῳ θυσίας καταδεῖξαι.* Tum Livius (44, 44) Amphipoli ei testatur templum fuisse. Aristophanes denique in Lysistr. v. 447 Stratyllin per Dianam facit iurantem *Ταυροπόλον.* Atque ex hoc quidem loco nihil potest effici, cum et nesciamus cuius illa civitatis fuerit-seditiosae enim mulieres omnibus ex Graeciae regionibus erant convocatae — et ipsa Diana quattuor obtestationibus tribus deinceps cognominibus appellatur: *Ἄρτεμις Πάνδροσος* [1]), *Φωσφόρος, Ταυροπόλος* (vv.: 435, 39, 43, 47); ex ceteris autem intellegimus in Attica potissimum eam esse adoratam. In Euripidis enim Iphig. Taur. v. 1449 sqq. ipsa Minerva Orestae mandat *ξόανον* illud, in naves impositum, Halas conferendum, quo loco cultum eam esse, haud dubium est Strabonis testimonio (IX, 399, § 22); quin confirmetur, licet syllabae *Ἁλαὶ Ἀραφη (νίδες)* in libris omissae ab editoribus adiectae sint. Ibidem Braurone, qui est alius Atticae pagus, Brauroniae Dianae templum ille fuisse testatur. Sed eodem hoc pago Tauropolum Dianam cultam fuisse Pausanias (I, 23) tradit. Quare eandem fuisse Tauropolum Dianam ac Brauroniam viri docti suspicati sunt, si quidem conici id potest dici quod certis argumentis probatur. Nam in Iphig. Taur. Minerva, postquam *Ταυροπόλον θεάν* se appellatum iri ab Atheniensibus dixit, haec loquitur:

σὲ δ' ἀμφὶ σεμνάς, Ἰφιγένεια, κλίμακας Βραυρωνίας δεῖ τῆσδε κληδουχεῖν θεᾶς (Iph. T. 1462). Apparet igitur

---

[1]) Non praetermiserim hic, Pandroson Dianae cognomen in lexico commemorari nullo; commemorari unam Cecropis et Agrauli filiam. Sed Dianam hic intellegendam esse ex eo apparet quod interiectum nomen est inter Dianae ipsius commemorationem et cognomina eius. Significatur sine dubio Luna quae et *Πάνδροσος* et *Φωσφόρος* potest appellari. *Φωσφόρος* proprie adiectivum est, ut est apud Eurip. Cycl. 611 *κόραι φωσφόροι.* Luciferum dixit Aristoph. Ran. 345: „*φωσφόρον*" qui idem vocatur „*ἑωσφόρος*" Jl. 23, 200. Hes. Theog. 381.

unam atque eandem esse hanc Brauroniam Dianam atque illam Tauropolon. Confirmatur haec sententia eorum auctoritate, qui tradunt Iphigeniam Tauris reducem, ad Braurona appulisse navem ibique ξόανον illud reliquisse (Paus. I, 23, 9. I, 33, 1. III, 16, 6). Quod si verum est, maxime certe ut diximus, in Attica percrebruit *Ταυροπόλου* Dianae veneratio.

Brauronia enim Diana, quam commemorant etiam Herod. 6, 138. Aristoph. Lys. 645. Hesych. 1 p. 761 vel ipsis Athenis in arce templum habebat confr. Boekh. corp. inscr. I pg. 237, Pollux onom. 8, 107. Quod si tenemus, haud improbabile est, poetam consulto chorum Salaminiorum eo nomine facere invocantem Dianam quo haec in Attica potissimum erat celebrata. Accedit quod pagi Halae et Brauron eiusdem tribus, ut videtur, Aegeidis[1]) fuerunt, cuius Coloneus ille, quo natus Sophocles est. Ut igitur in Oedipo Coloneo pagum suum celebravit, ita hic eum puto noti et domestici numinis commemorationem inseruisse. Ac mirati sunt interpretes, cur uno hoc loco *Ταυροπόλος* communis non sit generis[2]). Nota autem est Graecorum

---

[1]) Diversissimas maximeque inter se discrepantes de hac re repperi sententias. Schneidewinus enim in vita Sophoclis, editioni suae proposita pag. 3, Boekhio auctore se niti contendit (staatsh. II, 303 ed. altera) cum Aegeidis tribus Coloneum pagum fuisse dicit. Contra ad corp. inscr. I, pag. 158 et 906 Carol. Fr. Hermannus eundem ait docuisse Aegeidi eum tribui postea esse assignatum. Wachsmuthius deinde nescire ait cuius ille tribus fuerit homines doctos.

De Braurone pago, cuius tribus fuerit, tacent lexica omnia. Wachsmuthius Aegeidi eum ascribit tribui, sed opposito dubitationis signo; Hermannus in incertos pagos eum relegat. Boekhii illi libri cum praesto mihi non sint, res quomodo se habeat, nescio. Tutius igitur erit plane ab ea controversia recedere, praesertim cum ad ipsam rem haud ita magni momenti sit.

[2]) Cetera quae in h. f. occurunt eius rei exempla haec sunt: v. 108 ἑρκεῖος in genere communi positum est ut Eurip. Troad. 404 (ἕρκειος πυρά), Aeschyl. Choeph. 561 (ἑρκείους πύλας). Ascripsit Matthiaeus: v. 180 legitur ἐννυχίοις μαχαναῖς cum v. 1204 positum sit ἐννυχίαν τέρψιν ἰαύειν. V. 195 est ἀγωνίῳ σχολᾷ et v. 402 ἀλκί-

hac in re licentia, qua iisdem adiectivis nunc concedunt genus femininum, nunc non concedunt. Commemoraverim tamen, nusquam hoc cognomen inveniri, quod sciam, nisi aut in trimetro aut in pedestri oratione praeter hunc locum; hic vero forsitan *Ταυροπόλα Διὼς Ἄρτεμις* sonorius poetae et gravius sonuerit quam tritum illud *Ταυροπόλος*.

Alter ille locus continetur vv. 1111 seq.: *οὐ γάρ τι τῆς σῆς οὕνεκ' ἐστρατεύσατο γυναικὸς, ὥσπερ οἱ πόνου πολλοῦ πλέῳ ἀλλ' οὕνεχ' ὅρκων οἷσιν ἦν ἐνώμοτος σοῦ δ' οὐδέν.*

Ubi laudibus Teucer effert Aiacem quod non Helenae reciperandae causa vel fortunae tentandae expeditioni se adiunxerit, sed iusiurandum ut servaret [1]. Quo loco poeta nescio an rumores quosdam refutaverit qui a Plutarcho primo traduntur. Menestheus enim, Atheniensium ante Troiam dux, qui saepius in Iliade et cum laude commemoratur, una cum Tyndaridis Helenam a Theseo raptatam quaerentibus Theseum ipsum dicitur expulisse. Consentaneum

---

μα θεός, v. deinde 365 legitur *δαΐοις μάχαις* ut *δάϊοι χεῖρες* Herc. F. 915 et *δαΐῳ λόγχᾳ* Troad. 1301. Uberius de ea re dicere hic locus non est, unum hoc commemorabo, etiam ad adiectiva a nominibus propriis profecta pertinere hanc licentiam. Sic h. f. v. 419 positum est *Σκαμάνδριοι ῥοαί*. Eodem modo Euripides dixit *Σκαμανδρίους ἀκτάς* (Troad. 373), *Σκαμανδρίοις ῥοᾶσιν* (Troad. 1151, Hel. 52), *Σκαμανδρίοις ἀκταῖσιν* (Hel. 609). Affero quoque cetera quae animadverti apud tragicos exempla: *Γεραίστιοι καταφυγαί* Eur. Cycl. 295 contra *Γεραιστίαις ᾐόσιν* Or. 994. *Δήλιοι χοιράδες* Troad. 89. *Ἑκτορέους εὐνάς* Rhes. 1. *Ἡράκλειος ἔξοδος* Soph. Trach. 51. *Λύκειος ἀγορά* Soph. Electr. 7. *Καφήρειοι ἄκραι* Troad. 90. *Λερναῖον ὕδραν* Jon. 191. *Σιμουντίοις ῥοαῖσι* Hel. 250. *ἡ Τυνδάρειος παῖς* Orest. 1512.

[1]) De iureiurando Euripides Iph. Aul. vv. 57—65 haec habet:

(Τυνδάρεως) εἰςῆλθεν τάδε
ὅρκους συνάψαι δεξιάς τε συμβαλεῖν
μνηστῆρας ἀλλήλοισι καὶ δι' ἐμπύρων
σπονδὰς καθεῖναι κἀπαράσασθαι τάδε,
ὅτου γυνὴ γένοιτο Τυνδαρὶς κόρη,
τούτῳ συναμυνεῖν, εἴ τις ἐκδόμων λαβὼν
οἴχοιτο τόν τ' ἔχοντ' ἀπωθοίη λέχους
κἀπιστρατεύσειν καὶ κατασκάφειν πόλιν
Ἕλλην' ὁμοίως βάρβαρόν θ' ὅπλων μέτα.

igitur est auxilio eum venisse Tyndaridis suppetias undique petentibus. Quae quodammodo refutat poeta cum Aiacem Atheniensium heroem et quasi popularem honestissimis illis causis permotum esse dicit. Haec explicatio quibus longius repetita videtur, ii oportet statuant, percrebruisse tum nondum illos rumores [1]). Noti enim si fuissent, licet verum sit, id quod nego, *πόνου* illud *πλέῳ*, tamen vel comme-

[1]) Multi hoc mihi videtur esse verisimilius, siquidem nulla indicta causa Menestheum Homerus finxit Atheniensium ante Troiam ducem, posteriores hoc mirati, filios certe Thesei ante Troiam pugnantes faciunt, Menestheum antem capta nondum urbe occisum. Jam Thesei filii Atheniensium fiunt duces. Tum reputantes illi, qua Homerus de causa Menestheum finxerit ducem, efficiunt Theseum iam non regnasse Athenis utpote a Menestheo expulsum. Sed Theseus ille summus heros et qui de civibus suis optime meritus erat quomodo fieri potuit ut expelleretur? Sed in Orcum ille descenderat. Absens igitur expulsus est. Sed Tyndaridae tum in Attica erant. Eorum auxilio igitur expulsus est. Hoc modo totam illam fabulam confictam esse puto' idque his de causis censeo. Menestheus enim nunquam quod meminerim, obviam se fert nisi apud aut primae aut novissimae aetatis scriptores poetasve; apud tragicos nusquam invenitur; immo Thesei filios, Acamantem et Demophontem duces Atheniensium esse multis ex locis apparet. Velut Hel. v. 849 Thesei filius una cum Aiace et Achille nominatur. Ambo eius filii dicuntur ad Polyxenam Achilli sacrificandam multum contulisse (Hecub. 123:

τὼ Θησείδα δ', ὄζω Ἀθηνῶν,
δισσῶν μύθων ῥήτορες ἦσαν.
γνώμῃ δὲ μιᾷ συνεχωρείτην,
τὸν Ἀχίλλειον τύμβον στεφανοῦν
αἵματι χλωρῷ . . .)

In principum igitur consilio, in senatoribus necesse est eos fuisse. In Iphigenia deinde, quae in Aulide appellatur, chorus navium quendam catalogum vel indicem decantat Homerico similem. V. igitur 247 haec leguntur verba:

Ἀτθίδος δ' ἄγων
ἑξήκοντα ναῦς ὁ Θησέως
παῖς ἑξῆς ἐναυλόχει θεὰν Παλλάδα seq.

Apparet prorsus hic immemorem Euripidem esse Homericae narrationis. Nam cum ceteris locis possis dicere Thesei filios in Menesthei occisi locum successisse hic in Aulide versamur, incepto nondum bello. Euripidem igitur si sequimur, Menestheus non fuit Atheniensium ante

morare iusiurandum ineptum fuisset et absurdum. Quid? quod diserte ac plane reprehendit qui Atridarum causa (σοῦ δ' οὐδέν) ad bellum sint profecti. Aut acquiescendum igitur est in ea, quam ego proposui, explicatione aut credendum, fabulas has esse inventas ab iis qui mirarentur, quod Theseo regnante non Theseus aut eius filii, sed Petei filius, Menestheus ad bellum Troianum profectus esset.

Restat ut pauca dicantur de Menelai et Agamemnonis personis quorum mores, Atheniensium aperte gratia adeo in deterius deflexit poeta.

Ac profecto per totam fabulam tantum ostentatur Spar-

Troiam dux, ne regnasse quidem eum ex Heraclid. v. 35 apparet. Ibi enim Jolaus, Heraclis ex sorore nepos hoc dicit (34):

πεδία γὰρ τῆς δε χθονός
διοσοὺς κατοικεῖν Θησέως παῖδας λόγος κλήρῳ λαχόντας . .

Quod quid aliud potest significare quam regnare ibi dici Thesei filios, hereditate regnum adeptos? Illo certe „κλήρῳ λαχόντας" iudicari puto, statim eos Theseo patri successisse. Non finxisse hoc Euripidem ad ornandam fabulam, sed illius aetatis hanc fuisse opinionem ex eo ipso apparet, quod in tot tragoediis diversis eadem semper traduntur. Quodsi quaerimus, Homeri narratio quomodo sit explicanda, non habeo quod dicam Hoc certe mirum est, quod nullam significavit ille causam, cur Menestheus Atheniensium dux exstiterit. Nescio an ita facillime hoc explicetur, non nosse eum Theseum ut non novit eius filios. Jliadis enim iste versus Α, 265 sine ulla dubitatione spurius est non minus quam Od. λ, 631. Restant Od. λ, 321 seq., quos plurimas ob causas removendos puto. Primum v. 325 Διόνυσος legitur praeter Homeri consuetudinem, deinde v. 322 Minos dicitur ὀλοόφρων, quod epitheton quo ex fonte profectus versus sit, in dubio non relinquit. Atheniensibus certe ὀλοόφρων ille fuit ob severissimas poenas filii ab iis interfecti causa repetitas; Homerus illum omnibus locis propter iustitiam et castitatem summis extollit laudibus. Neque sensus magis Homericus, cum, quid significent verba „Διονύσου μαρτυρίῃσιν" in obscuro sit. Fuerunt qui turpiculi aliquid iis indicari putarent, haud inepte quidem, si legerentur haec apud Euripidem, non apud Homerum, qui eiusmodi res aperte pronuntiat, neque ambigue dictis velat atque obscurat. Hunc igitur versum si removemus, nihil obstat, quominus Homerum non nosse Theseum putemus. Jliadis ille v. Α 265 dubium non est, quin ex Scuto Heraclis sumptus sit, cuius carminis est v. 182.

tiatarum odium, ut suspicari aliquis possi, inito iam bello Peloponnesiaco scriptam esse fabulam; inepte illud quidem, cum semper, nullo tamen magis tempore quam ante id bellum, gratos Atheniensibus fuisse qui Spartiatis convicia facerent, constet inter omnes. Jam vero nigris, ut ita dicam, coloribus pictos esse Spartiatas, si demonstrare volemus, Homerus eos quales finxerit, nobis erit considerandum. Ac videamus primum de Menelao. Plato enim Conv. p. 174, B, ubi proverbii mentio incidit, quo ad bonorum hominum cenas homines boni etiam non invitati conveniunt, Socratem facit dicentem, Homerum non modo non observare, sed etiam violare illud proverbium; nam cum Agamemnonem in re militari strenuum finxerit virum, Menelaum vero mollem et ignavum (*μαλθακὸν αἰχμητήν*), convivium celebrante post sacrificium Agamemnone, Menelaum eum introduxisse, ultro ad mensam Agamemnonis venientem. *Μαλθακός* autem *αἰχμητής* vocatur ille Jl. *P*, 587, sed vocatur ab Apolline, qui Hectorem morantem ad pugnam impellere et animum eius deficientem extollere studet. Inimici autem verbis Plato si fidem habebat, etiam Agamemnon, quem strenuum concedit esse bellatorem, imbecillus erat et ignavus, quippe in quem Jl. *A*, 225 Achilles invehatur his verbis:

,,*οἰνοβαρές, κυνὸς ὄμματ' ἔχων*
κραδίην δ' ἐλάφοιο·"

Quae recte animadvertit iam Athenaeus V, 188 b—e. Menelaum tamen fortissimum esse apud Homerum et animosissimum probant cum multa alia tum cognomina ei indita, velut *Ἀγαθός* Jl. *Δ*, 181; *Ἀγακλεής* Jl. *P*, 716; *Ἀρήϊος Γ*, 339; *Ἀρηίφιλος Γ*, 21; *Δουρίκλειτος* Od. *ε*, 55; *Ἴφθιμος* Jl. *P*, 554; *Κυδάλιμος Δ*, 100. Summum deinde mihi videtur praebuisse virtutis exemplum, cum uno Ulixe stipatus Troiam profectus est, Hellenam recuperaturus (Jl. *Γ*, 206, *Λ*, 139—42); neque multum afuit, quin in tam audaci conatu interiret. Ac pugnat cum Paride certamine singulari (*Γ*, 350) et vincit Quin etiam cum Hectore congredi

non reformidat, sed prohibetur a suis (Jl. *H*, 94). Semper deinde inter primores certat multosque interimit hostes (Jl. *N*, 581 seq., 601 seq.; *O*, 560 seq.; *Π*, 311; *Ψ*, 293 seq., 355, 401, 407, 422 seq., 515 seq.). Maxime vero rhapsodia *P* ab antiquis inscribitur: *Μενελάου ἀριστεία*. Mitior tamen est et lenior ingenio quam frater Agamemnon. Velut hostem vivum captum cum servare vult ab illo prohibetur (Jl. *Z*, 37—53) idemque, si is passus esset, Hypernori pepercisset (*P*, 30—32). Neque violentus est in ira, sed iustus, ut regem decet (*Ψ*, 566). Talis igitur cum esset, translatum se iri in insulas beatorum praedictum ei erat. Sophoclis vero Menelaus non rex est, sed vulgaris vociferator, non iudex iustus, sed malitiosus causidicus (v. 1053), et suffragiorum praestigiator (v. 1135), non virtute insignis sed ignavia (1067 seq.), non magnanimitate praestans sed invidia et malevolentia (1065), non regaliter irascens sed abiecta ulciscendi cupiditate plenus (v. 1070), leporis denique simillimus leoni mortuo insultantis.

Non idem in Agamemnonem cadit, augustum apud Homerum sanctumque Graecorum omnium imperatorum et qui imperatorem se esse, ipsa specie atque habitu ostendat (*Γ*, 169 seq.):

καλὸν δ' οὕτω ἐγὼν οὔπω ἴδον ὀφθαλμοῖσιν οὐδ' οὕτω γεραρόν· βασιλῆϊ γὰρ ἀνδρὶ ἔοικεν [1]), ut nomen eius atque dignatas ipsius viri virtutibus quasi tenebras obducat. Neque igitur ut Menelao cognomina ei tribuuntur a virtute, sed a dignitate petita. Inde *κρείων* dicitur Jl. *A*, 130; *B*, 100; *Δ*, 153; *Z*, 63; *Λ*, 126; inde *ποιμὴν λαῶν* *B*, 243; *Δ*, 413; *T*, 35; Odyss. *δ*, 532; *ζ*, 497; inde *ἄναξ ἀνδρῶν* *A*, 172; *B*, 284; *Γ*, 81; *Δ*, 148; *Z*, 33; *I*, 114; *T*, 51; *Ψ*, 49.

---

[1]) Athenaeus, qui hunc locum affert, 13, 566 c habet: *βασιλῆϊ δὲ ἀνδρὶ ἔοικεν*· memoriae quodem lapsu. *Γεραρός* a verbo *γέρας* derivatur, ut „dono praecipuo quodam ornatus" significet i. e. maiestate quadam praeditus. V. 211 Ulixes *γεραρώτερος* dicitur fuisse Menelao.

Verum enimvero virtutes quoque in illo insunt splendidissimae ut qui non modo fortitudine (Jl. *E*, 38; *Z*, 33; *H*, 162) praestet, sed etiam humanitate atque religione. Velut vulnerato Menelao blandissimis verbis dolorem suum exprimit fratrisque amantissimum se esse ostendit (*H*, 162 seq.). Neque ducis officia neglegit, sed de futuris sollicitatus, vel sommo caret (Jl. *K*, 3). Iracundus tamen est et violentus neque offensarum obliviscitur. Unde exoritur cum Achille illa contentio Graecis calamitosissima. Haec est Homeri adumbratio eademque apud Sophoclem invenimus animi lineamenta, quamvis exasperata et supra modum aucta. Tamen eius mores non horrorem vel potius taedium excitant. Menelaus enim ille imbecillus est gloriator, hic, tyrannus etsi est isque superbissimus, habet certe qua nitatur potestate. Atheniensibus vero, tyrannidis infestissimis, haud dubium est, quin Agamemnon minus etiam probatus sit quam Menelaus. Neque sine causa illum poeta facit loquentem: pietatem semper colere haud facile esse tyrannum. Sed ne sic quidem contentus poeta omnia illa Atridarum eorumque generis nobis repraesentat atrociter facta; ante oculos ponit spectatoribus foedas illas dapes Thyesteas, sub aspectum collocat Thyestis cum uxore fratris, adulterium, in memoriam revocat crudele Atrei de uxore sumptum supplicium [1]).

---

[1]) Summa inter editores exstitit controversia, utrum cum scholiasta Euripideo (ad. Or. 812) statuendum sit an cum schol. Sophocleo (ad hunc versum). Hic enim ad verba „ὁ φιτύσας πατήρ" supplet αὐτήν traditque a patre, cui Tzetzes (ad Lycophr. 149) nomen Catreo indit, in mare proiectam esse ob vitium a ministro ei illatum. Ille „σέ" supplet neque patris eam iussu narrat sed mariti Atrei undis esse permissam, Sophoclis appellans testimonium. Euripideo iam scholiastae fidem habere nolunt interpretes quod ex hoc loco effictam putant eius narrationem. Quod quomodo se habeat in incerto relinquo, illud affirmo, Sophoclei schol. explicationem procul abesse ab huius loci sententia. Virgo enim Aerope, si in mare praecipitata est quomodo Atreo nubere potuit? Nam quod scholiastes narrat servatam eam esse a Nauplio, cui necandam tradidisset pater, huc non pertinet;

Quin etiam ad anachronismum recurrit poeta. Dubitari enim non potest, quin v. 1285 Cresphontis dolus perstringatur multo post commissus.

Satis mihi videor demonstrasse, ipsum Sophoclem non respuisse adiumenta ea quibus civium suorum animos captaret. Consilio autem etsi eam delegi fabulam quae per se maxime ad eiusmodi artificia quasi adhortaretur, inficetum tamen et quaesitum nihil invenimus. Qua in re multum distat et ab Aeschylo et ab Euripide. Ille enim fabulis suis ut veri leges et recti civibus imprimebat et ad pristinam virtutem et religionem eos revocabat, ita etiam maiorum magnitudine ante oculos posita, in re publica eorum opiniones corrigere studebat; hic autem saepe non sublimiore aliquo consilio ductus, sed ut delectaret spectatorum animos ac permulceret, fabulas et veras quae tum erant res, permiscuit. Sophocles vero, si in re publica

---

immo ipsa verba „ἐφῆκεν ἐλλοῖς ἰχθύσιν διαφθοράν" docent periisse eam in undis. Et secutum Sophoclem esse aliam memoriam inde manifestum est, quod scholiastes Plistheni eam facit nubentem, ille Atreo. Hoc ex parte luculenter exposuit Wunderus.

Deinde verbis „ἐπακτὸς ἀνήρ" (1296) etsi Thyestes quomodo sic appellari potuerit nescire me confiteor, famulus tamen Catrei nullo modo significari potuit. Denique quid Teucri interest, a Catreo num in mare proiecta sit Aerope? Numquid ad Aeropes crimen attinet utrum a patre an a nescio quo necata sit. Contra aptissimum est verbis: „ὁφιτύσας πατήρ" Pelopidarum aliquem, Atreum significari. Novum sic additur ad cetera eorum scelus: crudelissime maritus in uxorem suam saeviit. Neque offendere debet, quod Atreus dicatur: „ὁφιτύσας πατήρ". Lobeckius enim adnotatione ad h. l. exemplis allatis demonstravit, saepe his pluribus verbis non plus significari quam uno. Haec optime se habent; unum illud: „ἐπακτὸς ἀνήρ" quomodo explicandum sit, dubium est. Apollodorum ceterum si sequimur (III, 2) Catreus oraculo monitus per alterutram filiarum mortem se esse perpessurum, Aeropen cum Clymena sorore Nauplio vendendas tradidit. In matrimonium illam duxit Plisthenes, Atrei filius, cui Agamemnonem peperit et Menelaum. Scholiastes autem ad Jl. *B*, 249 tradit: Plisthene mortuo Atreum eam uxorem assumpsisse sed a Thyeste fratre adulteratam in mare proiecisse. Ex his duabus fabulis Sophoclei scholiastae narratio confusa mihi videtur esse.

non aberat a factionibus, in poësi utique nihil aliud spectabat nisi poësin. Sed fieri poterat ut, ubi opportunitas offerebatur, fere sine consilio quasi illaberentur, quae ad res tum praesentes spectarent. Neque vero obliviscendum est, Atheniensem fuisse Sophoclem. Atheniensis autem cum esset, fieri non potuit quin contemneret Spartiatas, extolleret patriam. In spissa igitur erroris quasi nocte versantur, qui non modo significationes ad personas singulas pertinentes odorantur in tragoediis eius, sed tota illius temporis factionum certamina fabulis velata atque operta descripsisse eum opinantur.

Vita.

Natus sum Georgius Berthold anno 1845 prid. Idus Februarias patre Adolpho, matre Sophia, e gente Markstein. Patre iam diu orbatus sum, mater praematura morte quattuor annis abhinc mihi est erepta, quos valde lugeo semperque lugebo. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Regium Joachimicum, cui eo tempore Meinekius, vir doctissimus, praeerat, per octo annos frequentavi; praeceptoribus usus sum Kirchhoffio, Usnero, Jacobsio, Seyffertio aliisque, viris clarissimis, quibus omnibus, optime de me meritis, gratias ago quam maximas.

Deinde gymnasium, quod vocatur Coloniense adii et Cal. Octobr. anni h. s. LXVII maturitatis testimonio munitus, universitatis Fridericae Guilelmae Berolinensis civibus adscriptus sum, ut philologiae studiis operam navarem. Ibi per sex semestria commoratus, scholis interfui Kirchhoffii, Hauptii, Huebneri, Mommsenii, Trendelenburgii, Muellenhoffii, Geppertii, Werderi aliorum, quibus omnibus animo grato esse nunquam desistam.

Triennio vix absoluto, bellum illud clarissimum contra Francogallos exarsit quod in me quoque tantum pugnandi ardorem inflammavit, ut mea sponte pro patria stipendia mereri vellem. Sed quod vires me deficiebant, quominus armis stipendia facerem, ad aegrotorum sauciorumque auxilium in Franciam missus, per septem menses in hostili terra summopere, huic officio satisfeci.

Redux in patriam complures annos privatim degi studiis deditus.